



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ. De parabola vineæ locatæ malis agricolis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filii estis. Opavenda verba! o amanda verè adversa, quo amore filius vult à patre amari, & amare patrem!

III. PUNCTUM.

SI propter Scripturas igitur sunt adversa toleranda, sunt libenter toleranda; cum non aliter commendentur, quàm ut libenter sufferantur, neque aliter Scripturæ impleantur, nisi id præcisè fiat, quod intendunt.

Rom. 15. Vide autem rursum & admirare, quàm sint totæ Scripturæ in illa patientia seu lubenti tolerantia commendanda, cum dicat Apostolus quacunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus; quasi diceret, idcirco, quæ scripta sunt de adversis, sunt scripta, ut patienter illa feramus: seu potius, quæcunque scripta sunt in Sacris Bibliis

utriusque testamenti, sive in Genesi, sive in Exodo, in Levitico, in Numeris, in Deuteronomio: sive in libris Iosue, Iudicum, Regum, & aliis Historialibus; sive in Psalmis, in Proverbiis Salomonis, in Prophetis; sive in Evangelio, in Apostolorum Actis, & eorum Epistolis; quæcunque tandem in Sacris illis in Pagina scripta sunt, ed omnia tendunt, ut patientiam in adversis doceant, & inde consolationem in iis tolerandis hauriamus, quod ea sectemur, quæ tantopere nobis commendantur.

Certè una vox Dei, unum Christi exemplum sufficiebat ad id persuadendum, sed tam multa simul conglobata & cumulata sunt, ut magis erubesceres post tam multa, te vix adhuc moveri ad libenter patiendum. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, nisi libenter? hoc te urge & preme stimulo, donec ex his esse possis quibus verè dicatur: Libenter sufferitis in sapientes, cum sitis ipsi Sapientes. 2. Cor. 11.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de parabola vineæ locata malis Agricolis, qui petenti Domino fructum negarunt.

VERITATES PRACTICÆ.

Quod te imparatum magis reddit ad reddendum fructum, hoc te paratiorem debet reddere.

Quantò minus puniri timet Infructuosus, tanto jam magis punitus est.

In 3. parte, in fine, ubi de votorum Renovatione.

VEREBUNTUR filium meum. Matt. 21.

Cum sit iste omnis fructus, ut auferatur peccatum, non veretur filium Dei, qui peccare non veretur,

Quasi diceretur.

If. 27. Non veretur Filium Dei, qui negat illi fructum quem requirit. Sed qui peccare non veretur, negat illi fructum quem requirit; Cum ex propheta, iste sit omnis fructus, quem ab unoquoque requirit, ut auferatur

peccatum eius. Ergo non veretur Filium Dei, qui peccare non veretur; quidquid tandem præ se ferat pietatis.

In 4. parte, Feria 4. hebdomada 27.

Quò etiam revocari posset hæc Veritas.

Sic Deus dilexit mundum, ut sic mundus diligeret Deum, sicut dilectus est.

In 1. parte, Feria 1. hebdomada 1. in Adventu.

MALOS male perdet.

Malos quidem omnes perdet Deus, sed non male omnes, nisi qui bene perdi nolint.

Tam portò bonum est malis, bene perdi, quàm male perdi malum est.

In 4. parte, supra dicta Feria 4. hebdomada 27. ubi & hac eodem spectans habetur.

Tam facile est malis, in aliena se persona nosse, quàm in sua difficile.

SABBA-